



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 89. Gallis adversandi obtentus a Cæsare quæsitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

## §. LXXXIX.

*Gallis adversandi obtentus a Cæsare  
quaesitus.*

**H**is interea gestis Cæsar de fidei suæ constantia tam frequens Galliarum Regi suspicandi præbebat argumentum, ut nonnisi necessitate compulsus, se adhucdum aliquam in eo fiduciam repone-re simularet, nec se opinione sua dece-ptum fuisse, brevi cognoverat; postquam enim Andreas Burgius, quem ad Cæsa-  
ris aulam ablegaverat, rediisset, Rex ab

**G**uic. l. 10. eo haud obscure edocebatur, nullum sibi ultra in Maximiliano præsidium repositum esse; Cæsar enim, quod Ludovico parum faveret, tot argumentis comprobatum reddebat, ut nullus dubitandi locus superesset. Evidem tamdiu moderationis limites non excesserat, quamdiu Ponti-ficis potentiam viribus inferiorem expe-riebat; postquam vero compererat, quod Papa Hispaniam, Angliam, Ve-netos, pluresque Italiæ Principes ad suas partes dextre pertraxisset, & ipse uni-ce intentus erat, ut sub honesto prætex-tu a Gallorum societate deficere posset: nec deerat illi occasio; quippe cum ex Cameracensi foedere nullum ipsi commo-dum accresceret, eoque Galli, Hispani & Papa omnes urbes a Venetis occupa-tas

tas sibi denuo affererent, tresque urbes, <sup>Sacul.</sup> XVI.  
in quas ei jus competebat, <sup>A.C. 1512.</sup> Tarvisium  
nempe & Patavium adhucdum Venetis  
parerent, Veronam autem pignoris loco  
cedere a Galliarum Rege compelleretur,  
Cæsar hac de re graviter conquestus, Lu-  
dovicum ad tam duras conditiones ad-  
stringere statuit, ut et si plurimum prælio-  
rum victor exstisset, asperiores leges ei-  
dem dictare haud valuisset.

## §. XC.

*Immodicæ postulationes Cæsaris ad  
Galliarum Regem.*

Quippe Maximilianus a Gallorum Re-  
ge postulabat: I. Suis expensis Pa-  
tavium, Tarvisium, ceterasque Conti-  
nentis urbes Imperio rursum jungendas,  
expugnaret, easque Cæsaris dominio  
traderet; II. Ludovicus Renatam de  
Francia filiam suam secundo genitam vix  
biennem Ferdinando Imperatoris Nepo-  
ti, ac Caroli Archiducis fratri natu mi-  
nori Sponsam concederet, eidemque,  
dotis nomine, Burgundiae Ducatum,  
hucusque Gallico regno conjunctum ce-  
deret, moxque Renatam ad Cæsaris au-  
lam ibidem, usque dum Viro matura es-  
set, educandam transmitteret; III. Ma-  
ximilianus arbiter feligeretur triplicis il-  
lius controversiæ Franciam inter & Se-  
dem